H. B. P.

Flora.

Flora vocor: vernis hospes mea tempora sertis
Cinge. nec has dura neglige fronte preces
Si tibi nō videor. satis hęc ego dona mereri
Illi quā celebro. nō dabis ista mihi.

¶ In amplissime.clarissimeq; vrbis Colonie laudē Hermāni Buschij Pasiphili Sylua.cui titulus Flora

Floricomū ver est.floralia rettulit olim
Maius,quū zephyri floribus aura fauet.
Aprili sata sum.maijs recitata calendis
Hinc dominę florum nomine,Flora vocor.

Inuocatio

DOrrigepieriam sitienti Castalis vndam
Musa tuo vati:cupido mihi redde sonoram
Diua lyram:sacros q; primū Numinis haustus
Huc admitte tui:nimium mens pigra veterno,
Et sopita diu iacuit,viresq; prioreis
Perdidit ingenij,consuetaq; robora nescit,
Inq; diem studijs non excitata canendi
Fit minor:& nullo moriens corrumpitur vsu.

Παραβολή

Vt ratis in sicca sine flumine segnis arena
Hiscit agens rimas, cariem, celeremq; senectam
Sentit:& vt rigidum,quū sustinet ocia,ferrum
Paulatim amittit seui splendoris honorem,
Et maculas ducit turpes rubiginis atrę.
Ergo tu resides animos,sensusq; labanteis
Desideiam somno,desueta ad munera verte
Et mea tristicię detergens pectora nube
Imbue pympleis,arentia guttura,lymphis,
Conatusq; iuua,quibus ordiar edere carmen

Propositio

Vrbis ad Agrippe laudes. & nobile nomen
Illius (his nostris presentia Numina votis
Si mereor:si dat vires mihi phębus apollo,
Ingenijq; rudis si vento implenda secundo
Vela,sinusq; regit:placidam si cōmodat auram
Aeolus) audaci mittam trans equora cantu,
Perq; omneis spargam populos,tradamq; legendum,
Qua romana patet facundia,sermo latinus
Qua penetrat, latas & qua diffusa sub oras

Gens hominũ latię celebrat cõmercia linguę.
Huius primęuos alius scrutabitur ortus,
Quãq3 vetus. vel quo sedem hanc fundauerit ęuo,
Quo duce. nũ priscus fatis: monitisq3 deorum
Condidit hanc aliquis, tantę moliminis vrbem
Heroum sanguis. vel dijs genitoribus ortus.
Vt Clarij supplex Phębi responsa secutus
Cadmus in aonia, posuit noua menia, terra:
Et Teucer quondam forti Telamone creatus
Laomedonteę post tristia funera Troię,
Ambiguam in Cypro, socijs Salamina locauit.
Hec ego non agito, sed cõmemoranda relinquo
Post alijs. mens est nobis presentia tantũ
Dicere, quę facies vrbis sit: quale virorum
Ingenium: quibus & studijs: quibus artibus omnem
Impendant operam: morum quę cura bonorum.
¶ Ipsa igitur moles vrbis pulcherrima: Latę
Et nitidę surgunt, tectis sublimibus, edes,
Quas dicas vel templa deûm: vel culmina regum.
Tantus vbiq3 decor: tam celsa fronte minantur
Despiciuntq3 solum: patulis tam clara fenestris
Se lux insinuat. tam multas continet aulas
Vna domus: totq3 excludunt hypocausta pruinas
Hybernas: gelidosq3 vetant seuire decembreis:
Tam pulchri thalami: tam blanda cubilia: crebris
Atq3 aptis discreta locis, fabreq3 polita
Arrident strato lectis genialibus, antro.
Sub pedibus varijs calcas asarota figuris.
Quicquid apellęi celebres pinxere colores,
Pharrasięq3 manus picturis cultus vterq3
Magnificis paries imitatur: & aula venustis
Fulget imaginibus: spacium nec in ædidus vllum
Cessat iners, cultuq3 carens, sed margine pleno

Que alijs relinquat

Narratio

Domo[rum] discriptio

Fora
Platea
Fossa
Murus
Turris

Cuncta micant tabulis pictis. aut aspera signis.
Quid fora? quid dicam nitidas sine sorde plateas,
Feruentes hominũ turbis, cętuq; frequentes?
Quid tibi precipites, que cingunt menia, fossas?
Quid murum, turresq; loquar? nisi nomina ficta
Essent Cyclopes: hęc męnia dicere possem
Fortibus artificum dextris fabricata Cyclopum:
Aut Amphyonij dulcedine condita plectri,
Threicia ve lyra, substructa ve pectine phębi:
Quo labor iliacus, quo Pergamus ardua, quõdã
Creuit. & aerias, admouit nubibus, arces.

Laus a Diuitijs

Nunc si diuitias quis contempletur, & ipsas
Vrbis opes, auibus credo fundata secundis,
Ominibusq; bonis, nec nõ ducentibus astris,
Nec nõ & superis letis, hec męnia dicet
Omnia: sic largus fortunę riuus inundat
Tecta, domosq;, suo sic fęlix Copia cornu,
Omneis fęcundat sic sors opulenta penates.

[illegible]iuitie [illegible] & si bñ utamur

Sed quia non auri laudem vis multa meretur
Nec Cręsi. nec tota Mydę congesta metalli
Pondera fulgentis: nec quicquid Dalmata diues:
Nec quicquid fuluis auidus fodit Astur in aruis:
Nec quęcunq; olim populo tributa pependit
Romano, lybici speculatrix clara profundi
Carthago: regnũq; Iubę, Cererisq; Triquetra
Fertilis: & parui iouis incunabula Crete:
Ni ratio possessa simul dispenset, & vsum
Ni prudens animus: ni mens collecta. vigensq;
Ingeniũq; sagax certis humana gubernet
Finibus, & monstret legemq; vicemq; fruendi.

[illegible]d mores diuertit

Ad mores ideo nunc. & laudabile gentis
Atq; vrbis studium veniam: ritusq; probatos.
Virtuti, & plectro nobis meliore canendos:

Iam si nosse libet que sit cultura, vel ipsos
In superos pietas. saxis extructa superbis
Grandia templa deûm. fuluóque ornata metallo
Aspice. & excelsis pendentia tecta colūnis.
Aspice & ad sacras hominum, quę conuenit, ędes
Turba, preces & dona ferens: aduerte quis ordo
Officijs: quę casta cohors symphonia miscet:
Quanta ministerijs diuinis cura locatur:
Omnia qua peragunt sacra sollicitudine Mystę.
Si te relliquię delectant: corpora si te
Sancta mouent: en iustorum veneranda magorum
Limina: quos Christi sacra ad cunabula duxit
Conspicuū sidus phębi nascentis ab ortu.
En tibi virgineas acies: fulgore rubentis
Martyrij illustreis: seruati & flore pudoris,
Vrsula quas tanti dux agminis: alta, poténsque
Sanguinis & sceptri: fidei sed honore micantis
Clarior: aduexit Rheni per amęna fluenta
Littus ad hoc nostrum: fideíque animauit amore
Fundere pro Christo castam per vulnera vitam,
Egregias pietate animas circūspice. Princeps
Inclytus & fortis Gereon: quibus impia fregit
Idola: & cęlum meritis accepit: & istos
Purpureo vincens decorauit sanguine muros:
Omnia si libeat sanctorum corpora iam nunc
Cōmemorare mihi, sacratáque pignora: tantas
Delicias: tot thesauros: fęlicia quos hęc
Męnia, conclusos gemmis, venerantur, & auro:
Deficiet tempus. citiúsque ego tecta domósque
Tantę vrbis. serie. numeróque, & carmine dicam.
Sed modo conuersis numeris mea carmina, mores
Ciuileisque operas. alacri mihi ludere versu
Incipiant. iuuat huc plenis decurrere velis.

gripp(m) populi mores

Sobrius: assiduus: vigil: ingeniosus: acutus:
Prouidus: humanus: sollers: Patiensq; laboris
Desidieq; fugax: & inertis strenuus oci
Contemptor: nō vota gule: non gaudia ventris
Diligit: aut vegetos hebetantia pocula sensus:
Sed frugi est victu populus: parcusq; quietis
Vtiliumq; sagax: rebus qui tempora seruat
Opportuna suis: momentaq; singula librat,
Ne pereant. pigre, prelanguentiq; resistit
Segnicie: turpiq; vetat rubigine torpor
Inquinet ingenium: iuuenesq; effeminet artus.

Liberalitas eius de populi

Colligit, & ratio si monstrat tempora, spargit,
Diuitiasq; facit pulchri instrumenta fauoris:
Et quid sit virtus nouit. qui splendor in illa
Nomina precipue. que numine. traxit. ab ipso
Exigit hic totam felix industria vitam:
Et steriles cunctis nugas eliminat horis,

Quid festis diebus faciat.

Festaq; lux quoties (explosa ignauia tantū
Huic populo) alternat, intermittitq; labores:
Non tamen indulget ludo cuicunq; iuuentus:
Ocia nec perdit: sed sese exercet in illis,
In quibus ingenui lucent vestigia moris:
Per que proficiant vires, & robora crescant
Vnguibus à teneris vsu durata lacertis.

Hon(esti) Ludi

Ergo aut veloci cōtendunt agmina cursu:
Aut agili saltu, ceruos equante fugaces:
Aut altos amnes, & flumina rauca natatu
Exuperant: credas lasciuū in mare profundo innare
Sicanio glaucū. vel in equore Prothea notū
Carpathio: aut vitreas Tritonē errare per vndas.
Hic feruet, luditq; pila formosa iuuentus:
Hic ineunt nitidam iuuenilia corda palestrā:
Hic iaculo: hic disco certant, celeriq; sagitta.

Exercentur equis alibi, subiguntq feroces:
Frenaq nunc laxant: pressis nunc stare lupatis
Alipedes cogunt: nunc colla comantia flectunt
In gyrum. & toto spectantur equiria campo.
Inde alios videas longis certamina contis
Per ludum serere: & strictas vibrare secures,
Monstratumq locum referente tonitrua glande
Percutere, euentu nusq cessante, nec arte.
Id genus armorum. priscis hec machina seclis
Incoperta fuit: nuper Germania pugnax
Militiaq potens: hanc primum ostendit, & hosti
Obiecit trepido: sonitumq ictumq paventi.
Quā Mars, & bellona soror. simul armipotentes
Vt videre, statim veterum risere parentum
Balistas, falces, Catapultas, robur Epei
Quod nobis aries mutato nomine fertur:
Trabs ingens. teloq rigens in vertice primo,
Męniaq incursans grata hostilia fronte:
Cuncta syracosij risere inuenta magistri,
Marcellum quibus ille mari. terraq fatigans
Sustinuit solus, totisq repressit ab vrbe
Pugnantem castris. & distulit arte triumphos.
Hę iuuenū curę sacris, festisq diebus,
Post res diuinas vrbis de more peractas.
Inde ad tutelam patrię, quū seuit Enyo
Deligitur miles, patiens algoris, & estus,
Nullis ęrūnis cedens, nullumq laborem
Aut onus armorum fugiens, hostemq ferire
Doctus, & ex omni famam, laudemq periclo
Ferre animis auidus, patrięq iubentis amore
Promptus in aduersam, qualem grauis Allia vidit,
Fortunam ruere. atq imitari in puluere diro
Cānarum cesos, Cremeręq ad flumina victos

Eqstre certamen
Boardarij
De Boardis obim
Arietis descriptio
Archimedes Syracusanus
M. Claudius Marcellus
Delectus militum

Nemo ebrius

Agrippina amat doctos

Impossibilius

Eruditionis gr mis

Apostrophe ad iuve tum Agrippinensi.

Corporibusq; suis, quasi vallo excludere bellum.
Nec temere inuenies dapibus. vinóq; grauatū
Immemoréq; sui, lapsantem, & luxa trahentem
Ilia, & indigni dare pretereuntibus ansam
Materiámq; ioci. cauet hec opprobria semper;
Dedecus hoc vitat seuo cane peius & angui.
His aliam adiungat, gens prudentissima, laudem
Qd non diuitias solum putat esse decori
Vrbibus, & magnos infiniti aeris aceruos:
Nec tantū validi robur prodesse lacerti;
Sed doctos, celebrésq; viros, vel maxima censet
Ornamenta loci: & rerum decora alta suarum.
Omneis ingenuas hinc miro amplectitur arteis;
Et colit affectu, veróq; hec semina cultu
Auget, vt est altrix studiorum maxima, & isto
Nomine, par claris (quas Grecia iactat) Athenis.
Quid? prius arboribus sylue, lignísq; carebunt:
Aequor aquis, monteis vmbris, & gramine campi,
Frigore tristis hyems, ver flore, & frugibus estas:
Quā careat doctis, clarísq; Colonia felix
Prudentum ingenijs: & respondere paratis
Ad quodcunq; velis in qualibet arte mouere.
Hic eternorum, diuinorúmq; capaces,
Et quicquid meminit scripture pagina sacre;
Hic qui iura sciunt, legúmq; enigmata soluunt;
Hic Oratores: medici: stellásq; professi:
Hic sophie. hic habitant phebei fontis alumni:
Castalijq; laris, magni primordia mundi;
Et veteres annos: transactáq; secula docti.
O vos felices. & blando sidere natos
Indigene pueri: quibus omnia sacra Mineruę
Omnéq; doctrine genus, intra menia vestre
Semper adest patrie. laribúsq; hec pene paternis

Omnia combibitis cum lacte, & ab vbere matris:
Propter que innumeri longinqua per ęquora vecti,
Et terras alio ferme sub sole repostas,
Huc properant iuuenes: magno non absq; labore:
Vt possint olim parta cum laude reuerti
In patrum amplexus, atq; obuia colla suorum.
Preclare hic igitur pubes studiosa docetur — Vniuersitas Agripp[...]
Quod satis ingenijs sit quãtumcunq; beatis.
Non tamen est bona pars iuuenum contenta paratis
Hic animi precijs. ꝗuis hic fonte perenni
Arteis queq; fluant: peregrina sed omnia late
Gymnasia explorat: cupiens maiora parare
Pluraq; spectatis: quod sane vertice toto
Approbo cõniuens. quis. n. reprehendat ineptus
Quod summi fecere sophi Plato clarus: & ipse
Pythagoras: quorum patriam dimisit vterq;
(Vt taceam reliquos) atq; extera visere regna
Aggressus: varios mores cognouit & arteis,
Ne tantũ (ꝗuis doctũs) loqueretur Athenas.
Sic postq; satis hic studij, annorumq; videtur — Iuuenis Studiosa Agripp[...]
Artibus impensum. generosa exempla secutus, — alia inuisit Gymnasia
Hic petit insubres, & Ticinensia doctis — Papia
Littora amata viris: petit hic Anthenoris arcem — Padua
Euganeosq; lareis: hic te Ferraria diues — Ferraria
Strẽnuus accedit: trisido quã gurgite cingit
Eridanus superi vagus hospes. & aduena ponti.
Alter ad Aemiliam tendit, rhenumq; minorẽ — Bononia
Falsineosq; focos. alpheę menia Pisę — Pisa
Alter adit: quidam Senonũ de nomine Senas: — Senae
Quidam thyrrenis Perusinam in collibus vrbem: — Perusia
Plures dardanię subeunt pallatia Romę — Roma
Quę quondã signis domuit victricibus orbem
Subq; suo tenuit terras atq; ęquora regno

Trans Ararim plerosq; rapit. rhodanūq; videndi, — Nō bonus Geographus hoc loco

Lucrecia — Discendiq; calor: doctos vbi Sequana Fluctu
Parrhisios intrat: tumidisq; perambulat vndis.
Vt germanorum taceam non indiga laudis
Gymnasia. & multis fama celebrata sub oris.
Epilogus — Sic plebs: sic populus: priuataq; pectora degunt
Pignoraq; erudiunt: sic remq; domūq; procurant:
Hactenus hec illis cecinit mea carmina Clio.
Nondum est ad patres ventum. clariq; Senatus
Concilium: certe hic alijs iam viribus esset:
Hic opus ingenio maiore. altoq; cothurno.
Longe hic me vinci fateor: mea carmina tantis
Cerno indigna viris: humerisq; hec pondera Muse
Comperio non equa mee: sed poplite flexo,
Et labente genu, nimio sub fasce laborum
Casuram video: & ludū doctis risumq; futuram
Laturam & piperi tunicas. thuriq; Sabeo
Ni potius taceat. q; pauca indignaq; versu
Proferat exili: & plectro deliret inepto.
Nullum hic ingenium: nulla est facundia: nullum
Eloquium: tantis animis: meritisq; virorum
Laus Senatus Agrippine — Vena mihi est impar. sedet ordine Brutus in isto — Brutus
Assertor patrie. Galliq; procella Camillus. — Camillus
Hic & faonio non corrumpendus ab auro — Fabricius
Fabricius: Curiusq; regunt. hic Sceuola pugnat — Curius, Sceuola
Legibus: Attilius prestat fide. & Appius ore — Attilius Regulus
Magnanimo pacem Pyrrho monet esse negandam, — Appius
Amissa incutiat que maiestate pudorem. — M. Marcellus
Hic Marcellus adest, vinci qui posse ferocem
Hānibalem doceat: hic qui cunctando retardet
Eludatq; ducem Fabius dictator eūdem. — Q. Fab. max. Verrucosus
Consulit his dubijs: placidi sapientia Leli. — C. Laelius
Fulminat hic patrijs (quū res sic postulat) armis

Scipio, cui nomen virtus struat alta superbum.
Hic sanctus grauitate Cato: pietate Metellus:
Iustus Aristides: Phocion bonus. Otriadésq;
Clarus deuoto. patrię pro laude. cruore
Non ego (si sapio) tantū mihi carmine sumam
Non ea vis studijs. nec tanta audacia nostris
Tales ieiuno. tantósq; vt posse referre
Me rear ore viros. laudémq; ęquare canendo
Quā vigili cura tantę vrbis cōmoda: rémq;
Comunem: tantam molem: populíq; salutem
Sustineant: rerum qua mente negocia tanta
Quóve animo subeant: quo clauo prospera pacis
Ocia: quo rigidum moderentur pectore Martem:
In verbis sit quanta fides: in iudicijsq;
Iusticia: in letis sit quanta modestia rebus:
Quātáq; in aduersis constantia: dura ferendi
Quale viris robur: presentis temporis acta
Quā cauta ratione putent: quáq; arte futuris
Casibus occurrant: qua dexteritate latebris
Implicitum euoluant verum, vtilioráq; cernant:
Qua lites vulgi sedent. qua iurgia lance,
Vel quo iure regant: quo cultu & honore decorent
Virtutem, & damnent: qua libertate nocenteis.
Hec & mille alias virtuteis, claráq; gesta,
Atq; sophocleo tantū celebranda cothurno,
Vel de quo inter septem vrbes certatur Homero.
Quū videam tenuis, nostras excellere longe
Viriculas, ne tantarum fastigia laudum
Deterat ingenij culpa, & vena arida nostri
Cedo volens: dextramq; premo, citharámq; recondo,
Cunctáq; meonijs linquo hęc monumenta poetis
Integra. & à dignis solum pangenda Camenis.

Finis Anno. M. D. viij.

Scipio Africanus
M. Porcius Cato
L. Metellus

Non vult dicere & tamen dicit